

DE MEDICAMENTIS
USITATIS
CONTRA ASCARIDES

PRÆCIPUE DE
SEMINE CYNÆ EJUSQUE PRAEPARATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRITICIA

HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

DIE XI. NOVEMBRIS ANNI MDCCCXLIII

PUBLICÈ DEFENSURUS EST

JOANNES KLEINER

SCHOENENBERGO — TURICENSIS.

TURICI 1843.

Verum est, ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre,
quam experientiam.

Celsus.

SUO

CARISSIMO

CAROLO GANZ

RORBASSENSI

MEDICINAE DOCTORI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PRO AMICITIAE SINCERAE PIGNORIBUS

D. D. D.

AUCTOR.

1870

CLASSIFIED

CARROLL BANK

REGISTERED

MEDICAL DEPARTMENT

MARCE RICHMOND PHARMACY

120 MARKET STREET PHOENIX

D. D. B.

ATTORNEY

Introductio.

Minime animus me fert disputandi, *Helminthes*, quas quoque vocat *Hippocrates* ἐλμύγγες, utrum ex opinione quorundam medicorum necessariae ad firmandam bonam valetudinem, an, ut alii volunt, causae sint plurimorum morborum. Attamen mihi placet, ut omnium sententiarum, quae modum excedant in contrarias partes, sic hujus rei veritatem in medio quodammodo sitam esse. Constat enim, helminthibus saepissime morborum causam tributam, ubi longe aliae causae quaerendae fuissent, ac e contrario eos, quanquam solum ex helminthibus ortos, longe aliis causis adscriptos esse. Si vero morbus helminthibus non creatus, tamen pejor factus, sine dubio earum expulsio res est magni ponderis. Quod igitur omnium helminthium *ascarides* notissimae sint medicis, jam illis prospere propositorum medicaminum compositionem, in qua explicanda haec dissertatio inauguralis versetur, praesertimque ipsius medicamenti, quod eas, ut *Asclepiadis* verbis utar, *tuto, cito ac jucunde* tollat, certiozem explorationem mihi de-

ligo. Hoc enim, ut mihi visum, est *semen cynae*,
 cujus vero *praeparata*, nominatimque *Santonium*,
 quo usque adhuc medici raro usi, tribus
 postulatis, quae sibi posuit *Hippocrates*, maxime
 conveniunt. His nominatis omnia alia medica-
 menta, quae antiquiore ac recentiore aetate contra
 ascarides opposita, plane fiunt supervacanea. Qua-
 propter ea tanquam obsoleta modo brevi in con-
 spectu ponam, uberius vero *semen cynae* ejusque
praeparata pertractabo: minime, ut mihi quidem
 placet, infructuosum opus, quippe usus eorum
 praeparatorum adhuc non inter omnes constare
 videatur.

Caput I.

*Conspectus medicamentorum contra ascarides
prioribus temporibus usitatorum.*

Classis eorum magna sic aptissime distribui videtur :

1. *Medicamenta quodam modo mechanico efficacia*, i. e. ea, quibus ascarides quasi διὰ μηχανῆν tolli creduntur, nempe: *mercurius vivus*, qui tamen, sicut *decoctum hydrargyri*, quoque huc pertinens, ob alios obnoxios effectus raro adhibitus est; *limatura stanni eaque ferri*, quae acuminata inter ascarides membranamque intestini perforare laborat illasque hoc modo tollere videtur; *carbo vegetabilis grosso modo pulverata ac gluma dolichi prurientis*. Haec medicamina omnia irritantia stomachi ac intestini membranam mucosam facile inflammant ideoque rejicienda sunt.

2. *Anthelminthica specifica*, i. e. ea medicamenta, quae vi principii propria tollunt ascarides. Ejus generis inprimis omnes species *artemisiae* sunt, praesertim vero *artemisia contra*; praeterea *radix* et *oleum aethereum polypodii filicis maris*, *fucus helminthochortos*, *chenopodium anthelminthicum*, *semen tanaceti*, *oleum thujae occidentalis*, *radix* et

herba Spigeliae anthelminthicae et Marylandicae, semen sabadillae, cortex geoffrayae Surinamensis et Jamaicae, cortex et radix punici granati, oleum terebinthinum et oleum Chaberti. E nutrimentorum numero huc pertinet clupea harengus, raphanus, allium sativum et cepa, daucus carota, caro sale conspersa aliaque similia. Quorum plurima et parum efficacia et nimis sumtuosa, vel minime jucundo sapore odoreque sunt, ita ut iis facile carere ac saepe aegre uti possis. Unica necessaria vis medica contra ascarides lumbricoides semini cynae ejusque praeparatis inest ceteraque omnia medicamina ideo non desideranda sunt.

3. *Anthelminthica alvum levantia* falso sic nominata sunt, quod nullam vim habent tollendi ascarides ac modo conjuncta cum aliis medicamentis prospere adhibentur. Dum alvum laxant, ascarides, quae in tractu intestinali sunt jam mortuae, amovent ac praeter modum forte conglomeratum mucum minuunt. Quorum autem *hydrargyrum muriaticum* mite principatum obtinere meretur. Id enim facile praebere potest parvulis inprimisque tollit massam tractus intestinalis mucosam, quae ascaridum procreationem valde adjuvat. Insuper ex usu est *radix jalappae* eaque *rhei*, sicut *infusum* vel *decoctum foliorum sennae*. Persaepe etiam *salibus*, qui, vulgo *neutrales* dicti, praesertim februm curationi sunt idonei, medici apte utuntur.

Semper vero cavendum est, ne *oleum crotonis* ac cetera *drastica* adhibeas, quippe stomachum tractumque intestinale nimis irritant.

4. Anthelminthicis quoque plura medicamina *aromatica* et *tonica* adjugebantur. Sed eorum vis itidem in tollendis ascaridibus minime constat; attamen eam utilitatem afferunt, ut stomachum expediant, nimiam tractus intestinalis mucosam secretionem impediunt et novam ascaridum procreationem prohibeant. Ejusmodi sunt inprimis *martialia*, *cortex peruvianus*, *cascailla*, *extractum nucum juglandum*, *cortex aurantiorum*, *calamus* aliaque similia.

Ad expellendas ascarides earum procreationem, quantum fieri potest, avertendam mihi quidem maxime convenire videtur, si primo praebeas *anthelminthicum specificum*, praecipue *praeparatum seminis cynae*, quo illae tolluntur, dein vel etiam conjuncte cum illo quoddam medicamentum *laxans*, quod e tractu intestinali amoveat mortuas ascarides, ac postremo curationem finias *aromatico* vel *tonico* medicamine, quo incitetur concoctio stomachi et procreatio ascaridum prohibeatur.

Caput II.

De Semine Cynae.

Auctoribus *Trevirano* et *Neesio ab Esenbek*, semen cynae ab *artemisia contra*, planta in *Palae-stina* et *Persia domestica*, oritur.

Haec secundum *Linnaei systema* ad ordinem secundum undevicesimae classis et ad ordinem naturalem synantherarum tribus corymbiferarum pertinet. Caulis formam habet fruticis, in apice ramulos tenues distantes, cano-virida et palmata foliola, duarum vel trium linearum longa pariterque lata, pinnato-discissa. In frondulis gemmulae floriferae, ut fasciculi, coacervatae sedent, quarum involucrium ovatum et ortum est e decem vel quindecim squamis imbricatis, hebetibus, paululum arcuatis, membranaceis, in dorso luteo-glandulosis; in omni involucrio tres vel quatuor flores masculi tubulosi et unus vel duo foeminei sine corolla inveniuntur.

Officinales sunt flores, qui, *semina* falso nominati, adhuc non aperti ac pedicellis discissis mixti sunt.

Per mercaturam *tres* seminis cynae species

accipimus, quas hoc loco commemorabo et describam :

1. *Semen cynae Levanticum* sive *Aleppense* sive *Alexandrinum* flores habet luteolo-virides seu sub-fusco-luteolos, obtectos massa splendide gummosa, odore singulariter injucundo et sapore forti, ingrato, aliquo modo camphorato, postremo valde amaro. Haec species maxime usitata ab artemisia contra exoritur optimaque habetur.

2. *Semen cynae Barbaricum* sive *Africanum* sive *Americanum* colorem habet sordide cano-subviridem, prope luteolum, odorem seminis cynae proprium saporemque dulciculum et camphoratum, tamen minus fortem Levantico, ac ex artemisia glomerata ortum creditur.

3. *Semen cynae Indicum* sive *Ostindicum* sive *Oriente* ponderosius est coloremque habet viridem aut sordide luteolo-fuscum. Hujus flores minores sunt ac rotundiores nec splendidi. Haec species nonnullis esse videtur semen cynae Barbaricum coloratum curcuma vel rhue continuo.

Auctore *Voeltero*, cujus vide libellum periodicum: *Pharmazeutisches Centralblatt*. Lipsiae. 1836. No. 25, semen cynae Barbaricum plus olei aetherei continet, quam Levanticum. Nam centum seminis cynae Barbarici partes constare vult ex oleo aethereo 1,23. et totidem seminis cynae Levantici partes modo ex 0,693. *Wakenrode-*

rus vero in centum seminis cynae Barbarici partibus invenit oleum aethereum 1,8, Levantici 0,4.

De semine cynae universo plures *analyses chemicae* subtiles notae sunt, quarum plenissimas Tromsdorfius ac Wakenroderus constituerunt. Nam ille, cujus cognoscas libellum diurnum sub titulo: *Neues Journal der Pharmazie*, III. 1. pag. 309., e quingentis seminis cynae partibus accepit

Materiam extractivam propriam	105
Materiam extractivam gummosam lixivioque kali caustici separatam	280
Gummi	55
Oleum aethereum	4
Partes gummosas ac fibrosas.	60

Wakenroderus, quem intelligere velis in *Geigeri Magazin*, Majo 1837. pag. 170., in centum seminis cynae Levantici partibus invenit

Extractum amarum et alkoholo aquaque solubile cum pomorum acido et ali- quanto kali calcisque	20,25
Substantiam gummosam, fuscam et amaram	4,45
Gummi balsamicum acre	6,05
Cerinum	0,35
Materiam extractivam gummosam	13,60
Coquendo idem accepit	
Materiam extractivam gummosam	1,90
Ulminum	8,60

Calcem ut pomum acidam cum aliquanto	
oxydi silicici ac substantiae vegetabilis	2,00
Ligni fibram	35,45
Partes terrenas	6,70
Quae omnia summam efficiunt:	99,35.

Idem e centum seminis cynae Indici partibus accepit

Extractum amarum, alkoholo et aqua solubile cum pomorum acido, aliquanto kalii, calcis magnesiaeque.	21,53
Substantiam propriam gummosam	6,53
Gummi balsamicum	7,59
Cerinum	0,84
Extractivam materiam gummosam	12,55
Coquendo invenit eandem materiam	2,69
Ulminum	10,25
Calcem cum pomorum acido	4,13
Ligni fibram	35,57
Quae summam conficiunt:	101,32.

Ergo semen cynae praeter *santoninum*, quae materia *alcaloidum* falso nominatur, oleum aethereum materiamque extractivam maxime continet.

Substantialiter datum semen cynae non modo *anthelminthice* efficax, sed etiam ob sua elementa amara extractiva *tonicum* est remedium, quod masticatoriorum languorem organorum amovet plexusque penetrans irritat. Raro tamen ad eum finem, sed modo pro anthelminthico medici eo uti solent.

Nihilominus semen cynae, pro anthelminthico substantialiter datum, ob irritantem efficaciam, sicut ingratum odorem saporemque semper difficile est adhibendum ac propterea, quamvis adhuc saepissime usitato, eo carere possemus, praesertim quod ejus praeparata aequae efficacia anthelminthica sine seminis cynae incommodis possidere putemus.

Dosis seminis cynae unum scrupulum usque ad unam drachmam continet, quae aut pro se aut cum aliis anthelminthicis vel laxantibus remediis, sive pulverata, sive infusa, sive electuarisata, sive trochiscata, sive morsulata per diem aliquoties repetitur. Inprimis nota sunt *electuaria Stoeckii* et *Bremseri*, quae vero etiam haec incommoda habent, ut ingrata parvulis vix praeberi possint. *Decoctum* ob multas partes volatiles quoque evitandum est.

Caput III.

*De seminis cynae praeparatis, imprimis de
santonino.*

1. *Oleum seminis cynae aethereum*, ut aliae olei aetherei species, optime praeparatur distillatione contriti seminis cynae aquosa. Minus ponderosum quam aqua, languide flavum, tempore paululum fuscum, valde volatile, penetrantem habet seminis cynae aliquantique camphorae odorem saporemque acriter subamarum; primo calefacit, postea sensum relinquit refrigeratorium. Plene solvitur millibus aquae partium; etiam alkoholo ac aethere facile est solubile. Conjunctum cum jodio non discrepat. Pondus specificum est = 0,925.

Jam saepe prosperrime hoc oleo contra ascari-
des usus, nullum obnoxium observavi effectum
secundarium, nisi quod aliquantum calefaciat:
quapropter in complicationibus inflammatoriis et
febriculosus evitari videtur. Superius est semine
cynae pulverato, quia parvis in dosibus ac variis
formis sumi potest parvulusque ob suum non valde
ingratum saporem praebendum est.

Idem quotidie aliquoties singulas usque ad

ternas guttas ordinavi cum dimidio vel pleno scrupulo Sacchari albi, quibus jam in proxima alvo dejecta ascarides abigi solebant. Id vero cum hydrargyro muriatico mihi conjungi malo. Exempli gratia:

Rec. Hydarg. muriat. mitis gr. ij.

Ol. sem. cyn. aeth. gtt. ij.

Sacch. alb. scrupul. un.

m. f. pulv. Sign. Cujus tres vel quatuor particulae quotidie dentur. Tali modo saepius alvus dejecti simulque ascarides, si quae inveniuntur, abigi solent. Hoc oleum quoque sub mixturae forma cum aliis conjunctum remediis apte adhiberi potest.

2. *Extractum seminis cynae aetherei.*^{com} Cujus praeparandi modus cum eo aliorum extractorum aethereorum coincidit. Simplicissimus mihi quidem videtur: octo unciae aetheris sulphurici mercatorii supra unam unciam seminis cynae valde contriti infundantur ac multa quassatione tamdiu digerantur, quam liquor flavum induerit colorem. Quum ille claruerit, defundatur ac aetheris infusio tamdiu iteretur, quam fluidum non amplius flavum videatur. Hi liquores mixti ac colati destillatione aetheris ad quartam partem reducuntur ac postera evaporatione in balneo mariae consistentia extractiva tenuis fiunt. Quod extractum in superficie splendidum, in ictu ac dissolutione viride odorem seminis cynae forte diffundit habet-

que saporem subamare refrigeratorium. Aqua insolubile, alkoholo et aethere facile solvitur.

Hoc extractum efficacissimum est anthelminthicum, quod jam ex eo colligi potest, ut plurima efficacia seminis cynae elementa in se conjungat. Quamvis injucundioris saporis quam alia seminis cynae praeparata, tamen multo gratius est semine cynae substantiali. Insuper ei longe in omnes partes anteponendum videtur, quia ejus effectus aequae certus nec tanta est dosis praebenda.

Cum oleo ricini datur, vel syrupo pilulato, vel defricato gummi sub mixturae forma in semetipso aut conjuncto cum aliis remediis unum usque ad quinque grana pro dosi.

Id saepius praebui sequente in forma:

Rec. Extr. sem. cynae ℥β. — ℥j.

Gumm. arab. ℥iij.

Infus. fol. senn. ℥iv.

Syr. commun. ℥j.

M. D. S. Quotidie omni sesquihora unum cochlearium sumatur.

Hoc quoque praeparatum ob suas inflamman-tes proprietates evitandum est in complicationibus inflammatoriis ac febriculosis.

3. *Santoninum*. Simul a pharmaceuta *Köhler* et *Almsio* (vide *Brandesii Archiv* tom. XXXIV. pag. 318 — 319.) anno MDCCCXXX. inventum est. Posterior *Santonini* nomen primus indu-

xit animumque advertit ad ejus vim anthelminthicam.

Multarum praeparationis santonini specierum, quas novimus, hoc loco solum duas efficacissimas copiose commemorabo:

A. Commixtae quatuor partes grosso contriti seminis cynae sesquialteris kalii caustici hydrati in digestionis calore ter extrahuntur sedenis vel vicenis partibus spiritus vini alcoholisati (a 0,93. usque ad 0,94). Unita pure flava extracta eo destillantur, ut partes duodecim vel sedecim residueant. Refrigeratae filtrantur, usque ad dimidium evaporantur, dein acido acetico leniter supersaturatae per aliqua momenta coquuntur et ad refrigerandum apponuntur. Sic santoninum separatur, in parietis lateribus ac vasis fundo formatis magnis crystallis, maxima ex parte plumosis, adhuc inquinatis quadam substantia fusca, gummosa et calcium continente. E lixivio crassamento adhuc major santonini copia evaporatione capitur. Parvis alkoholi quantitibus tandiu abluitur, quam gummi solutum residuaque alba apparuerunt. Deinde octo vel decem alkoholi 80% partibus dissolvitur, carbone animali apposito, fervidum filtratur ac lente refrigeratur. Hoc modo santoninum offertur crystallis candidis, quae siccata et a lumine munita conservantur.

B. Semen cynae grosso contritum identidem

aqua excoquitur et adhuc fervens colatur; dein congesta decocta modico igni aliquantum longe evaporantur. Refrigeratione impure coloratum crystallisatur santoninum, quod iterata solutione alcoholisata ac recrystallisatione candidum ac depuratum servatur. Aetheris digestio sulphurici aequae santoninum offert.

Semen cynae cum kalio carbonico in magna quantitate soluto idem praeparatum reddere potest.

Proprietates. Sub columnarum plane depressarum sexlaterarumque, tabularum rectiangularum et grupporum plumosorum forma santoninum crystallisatur. Si vero crystallisatio turbatur, ipsum in foliola, plurimum quadrilatera, saepe ut mytilus margaritiferus splendida decidit. Colore et odore caret ac paene ipso sapore, et tunc demum, si longius manducatur, subamarus agnoscitur sapor. Verum alcoholisata solutio saporem habet pure ac vehementer amarum.

Vim habent valde radios solis refringentam crystallata ac non mutantur sub coelo obscurato; luci vero exposita flavescunt. Ponderum specificum summam 1,247 explet. Calore + 136° R. ad liquorem sine colore, refrigerando crystalline torpescentem liquescit et recte siccatum calore + 80° pondo nihil amplius perdit. Quater vel quinquies mille aquae frigidae partibus ducentisque quinquaginta ferventis, itidem tribus et quadraginta alko-

holi, 0,848 specificè ponderati inter calorem + 14^o R., 2,7 ferventis partibus, quinque et septuaginta aetheris frigidi et quadraginta duabus aetheris fervidi, sicut oleis aethereis ac opimis solvitur. Santonini alcoholisata solutio *Tromsdorffo* non in plantarum colores reagere videtur; secundum *Ettlingium* vero acide reagit. Secundum priorem santoninum constat e

73,509 Carbonii,

7,466 Hydrogenii et

19,025 Oxygenii;

secundum Nostrum Clarissimum *Loewigium* e

73,63 Carbonii,

7,21 Hydrogenii et

19,16 Oxygenii;

ac secundum *Liebigium* e

70,509 Carbonii,

7,466 Hydrogenii et

22,025 Oxygenii.

Santonini vis *absolute* anthelminthica est. Dosis enim recta sine ullo alio effectu ascarides, ut mihi satis persuasum multis ejusmodi morbis, quos uberius describendi hic locus non est, diagnosticè perspectis, e corpore tuto expellit, quod immo etiam ab aliis medicis, quos ad ejus usum excitaram, confirmatur.

Omnibus aliis anthelminthicis santoninum maxime praevallet ac ullo alio medicamento nequa-

quam compensatur. Vires medicatrices hac in dissertatione adhuc exponere moliar.

A. Santonini efficacia *tuta* est, et, ut supra dixi, *absolute anthelminthica*. Ergo in omnibus casibus, ubi indicata est ascaridum expulsio, etsi alius adsit morbus, pro se aut conjunctum cum aliis remediis sine ullo incommodo praeberi potest. Exempli gratia e scarlatina nervosa, in qua simul in tractu intestinali symptomata ascaridalia apparuere, laboranti santoninum cum aliis necessariis medicamentis prospere ordinavi; postea enim per horas viginti quatuor ascarides circa viginti abierunt.

B. Quod *odore ac paene sapore careat*, facile dari potest aegrotis, quo haud dubie nihil optatius videtur medico, quem non latet, quam difficile sit, parvulis praebere semen cynae varie formatum.

Riekus quidem in suo libro: *Die neuern Arzneimittel* (Stuttgardiae. MDCCCXL.) p. 577. Santonini usum nimis sumtuosum esse vult ac secundum paginam 656 decem crucigeros imperiales pro grano pretium indicat. Sed etiam haec dubitatio cadit, quod in praesenti duobus crucigeris granum vendatur ac forsitan in magis crebra venditione etiamque minore emi possit.

Dosis Santonini est semigranum usque ad duo grana et praebetur aut pro se cum saccharo aut

cum hydrargyro muriatico miti ac jalappi aptissime conjunctum; ceteroqui pro tempore cum aliis medicamentis convenientibus conjungi ac, ut jam commemoravi, paene in omni forma placita ordinari potest.

Saepe cum hydrargyro muriatico miti sub hac forma santoninum dedi:

Rec. Santonini Gr. β — j.

Hydrarg. muriat. mit. Gr. ij.

Sacch. alb. scrupul. dimid.

m. f. pulvis S. Una particula detur per horas binas ac ternas.

Epilogus.

Dissertatio inauguralis finita est. Ut juvenilis tenuitatis excusationem inveniat, Vos, experientiores ac severiores iudices, enixe peto.

Sed antequam huic libello finem plenum imponam, occasionem oblatam praetermittere non possum, quin Vobis, Professores Aestimatissimi, Viri egregio ingenio ac doctrina praediti, quorum praeclarissima institutione ante triennium frui mihi contigit, gratias agam quam maximas. Vobis enim, sicut posteriori experientiae, quam collegi in praxi medica, quidquid hac in scriptiuncula profeci, acceptum refero.

Utinam, favente divino numine, fovente ingenii lumine, semina floresque, quos in nostrae litterarum Universitatis quasi seminarium diligentissima cura spargitis et diffunditis, diutius ac verius, quam ii, quos supra tractavi officinales, floreat et vigeant fructusque uberrimos efferant

ad decus studiorum humanitatis, inprimis artis
 medicae, nec minus ad singulorum salutem omnis-
 que rei publicae! Itaque mihi est extremum,
 quod antiquissimi Romani, quia, ut *Cicero* ait,
 valere censebant, omnibus rebus agendis praefa-
 bantur quodque quasi spicilegium minime con-
 temnendum hac in dissertatione postscripti:

*Quod bonum, faustum, felix fortunatumque
 esset!*

I n d e x.

	Pag.
Introductio.	5
Cap. I. Conspectus medicamentorum contra Ascarides prioribus temporibus usitatorum.	7
Cap. II. De Semine Cynae.	10
Cap. III. De Seminis Cynae praeparatis, imprimis de Santonino.	15
Epilogus.	23

T h e s e s .

1. Kali nitricum non est antiphlogisticum.
 2. Kali hydrojodicum optimum est remedium antisyphiliticum.
 3. Febris non est morbus.
 4. Crusta phlogistica non est signum inflammationis pathognomonicum.
 5. Rubeolae non sunt.
 6. Incisio est optima operatio hydroceles.
 7. In fractis corporis extremitatibus vinctura glutinosa omnibus aliis multo praeponenda est.
 8. Certa signa sunt incipientis graviditatis.
 9. Kephalo-tripsia perforationi praeferenda est.
 10. Venena non sunt.
-

Titel

1. Hall nitens non est colubiformis
2. Hall nitens non est colubiformis
3. Hall nitens non est colubiformis
4. Hall nitens non est colubiformis
5. Hall nitens non est colubiformis

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI.

6. Hall nitens non est colubiformis
7. Hall nitens non est colubiformis
8. Hall nitens non est colubiformis
9. Hall nitens non est colubiformis
10. Hall nitens non est colubiformis